



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Epistola I. Martini Papae IV. Ad Fratres Minores. Eis priuilegium concedit  
praedicandi, & confessiones audiendi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

ris Viterbii coronari recusauit, quod propter violentiam illatam illa vrbs interdicto subiaceret. Sed Oruieti 23. Martii inauguratus est: ipso die paschæ sex cardinales creauit. Carolus rex Siciliae ibi eum inuifit, eique senatoriam dignitatem, non sine aliqua ignominia nota, restituit. E familia Vrsinorum cardinalem Romam misit, qui Vrsinos cum Hannibaldis reconciliauit: vbi Richardus, laqueo in collum iniecto, ad pedes cardinalis humiliter se dimisit. Cumque Romanis concessisset, vt duos senatores deligere possent, Hannibaldus Petri, Hannibaldi filius, & Pandulphus Gabellus electi fuere. Palæologum, quod promissis in reconciliatione ecclesiæ Græcæ cum Latina factis non stetit, & Perusinos, quod de facto Fulgentium inuasissent & contriuisissent, Petrum etiam Aragoniæ regem, ideo quod a tempore pacis, se auctore cum Carolo factæ, regnum Neapolitanum diuexare, Siciliamque adiutus viribus Ioannis Procida, auctoris illius truculentissimæ stragis, quam vespertas Sicilianas vocant, occupare non desineret, excommunicauit. Tandem Perusii, quo ipse propter certos tumultus inter Gibellinos & Guelphos exortos se contulit, morbo correptus, anno 1285. animam Deo reddidit, ac in ecclesia cathedrali sepulturae honorem accepit, dum annis quatuor, mense vno, septemque diebus ecclesiæ præsedisset. Ad eius sepulcrum plurimi ægroti, claudi ac cæci in eius sanctitatis testimonium fanitati restituti sunt.

## EPISTOLA I.

## MARTINI PAPÆ IV.

## AD FRATRES MINORES.

Eis priuilegium concedit prædicandi, & confessiones audiendi.

*Martinus episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis ministro generali, & prouincialibus ministris ordinis fratrum Minorum, salutem & apostolicam benedictionem.*

**A**d fructus vberes, quos in agro dominico, prædicando pariter & exemplo, confessiones audiendo, & per

MARTINI PAPÆ IV. EPISTOLÆ. 609

per alia virtutum exercitia satis ordo vester, & humiles  
 ipsius ordinis professores produxerunt hæcenus, & spe-  
 rantur in futurum, Deo auspice, producturi, attentæ  
 considerationis aciem conuertentes, vt fratres eiusdem  
 ordinis prædicationis & audiendi confessiones officia eo  
 liberius & efficacius exequi valeant, quo citius de ipso-  
 rum circa eadem de auctoritate apostolica constabit ti-  
 bi, fili, ministro generali per te, vobis vero prouinciali-  
 bus ministris cum diffinitoribus in prouincialibus vestris  
 capitulis congregatis, committendi auctoritate aposto-  
 lica fratribus eiusdem ordinis sacra pagina eruditis, exa-  
 minatis & approbatis a vobis, prædicationis officium,  
 audiendi vero confessiones, absoluendi pœnitentes, sa-  
 lutares eis iniungendi pœnitentias, & fratribus alias ido-  
 neis concedendi: eisdem quoque sæpe fati ordinis, qui-  
 bus dicta officia per vos taliter concessa seu commissa  
 fuerint, quod eadem libere valeant exercere, plenam  
 damus & concedimus auctoritate præsentium faculta-  
 tem; districtius inhibentes, ne quis fratres ipsius ordinis,  
 quibus dicta officia taliter concedenda duxeritis, vt præ-  
 mittitur, siue etiam committenda in exercitio siue exe-  
 cutione officiorum ipsorum, audeat quomodolibet im-  
 pedire. Volumus autem quod hi, qui fratribus confite-  
 buntur eisdem, suis parochialibus presbyteris confiteri  
 saltem semel in anno, prout generale Concilium statuit,  
 teneantur. Quodque iidem fratres eosdem ad hoc diligen-  
 ter & efficaciter secundum datam eis gratiam a Domino  
 exhortentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc  
 paginam nostræ concessionis & inhibitionis infringere,  
 vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc atten-  
 tare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, &  
 beatorum Petri & Pauli apostolorum eius, se nouerit in-  
 cursurum.

Datum apud Urbem veterem quarto Idus Ianuarii,  
 pontificatus nostri anno primo.